

quæro quid in se maximum habeat, sed quid suum. Corpus  
habet? & arbores habet impetum & motum voluntarium: &  
bestiæ & vermes; habet vocem? sed quanto clariorem canes,  
acutiorem aquilæ, grauiorem tauri, dulciorem mobilioremq;  
luscinia? Quid in homine proprium? Ratio. hæc recta & con-  
summata, felicitatem hominis implevit.

## SECTIO SECUNDA

*tradens*

### Confectaria Efficientis & Finis

*quorum*

#### Primum

*ita habet*

Acquiescendum minimè est in reddendis corporum naturalium causis efficiendis in causis *universalibus*: nec in corporum naturalium generationibus, in causis *remotis & instrumentalibus*.

§ 1. Et *illius & istius & huc* Patroni immane quantum à veritate aberrant. *Illius* dum non verentur statuere, solè ranas, mures, vermes & eiusmodi alia progenerare. Verum ut taceamus, sententiæ huic contrariari Aristotelem ipsum, qui unius cuiusque rei causam propriam investigandam præcipit, nos contra illos ita argumentamur: Quæcunq; causæ ad unum & certum corpus naturale determinatæ non sunt, in iis acquiescendum non est. Causæ universales ad unum & certum corpus naturale determinatæ non sunt. Ergo in causis universalibus acquiescendum non est. Præclarè hanc in rem *Wenrichius lib de Monstr. c. 22. p. 103.* scribit, pauca si excipiat: Sol, inqvies, & homo hominem generant: Ita est, sed non quocunq; modo. Cælum ut generalissima est causa, ita remotissima eorum, quæ sub lunâ fiunt, quoq; remotior causa quælibet est, hoc generalior

B 3

tantum